

ter promulgata ut obliget, si non directe et vi sua, saltem indirecte et vi legis generalis, scilicet in dubio tutiorem partem esse eligendam¹, consequenter legem dubiam esse observandam, quia hoc est tutius.

Obj. 2^o: Ignorantia invincibilis legis excusat operantem ex ea. Atqui certa et solida probabilitas de non prohibitione alicujus actionis, etiam in concursu æqualis probabilitatis, necessario conjungitur cum ignorantia invincibilis legis. Ergo. — Prob. min. Illa ignorantia est invincibilis, quæ post tot annorum studium, tot ingeniorum desudationes superari non potuit. Atqui talis est ignorantia legis contra cujus existentiam motiva vere et certo probabilia militant. Ergo.

Resp. hoc argumentum, præcedenti affine, eodem fere modo solvi. 1^o Ex illo sequuntur eadem inconvenientia ac ex præcedenti. 2^o Falso supponit esse solidam probabilitatem in concursu æqualis probabilitatis². 3^o et præcipue, *dist. min.* Certa et solida probabilitas de non existentia legis, etiam in concursu æqualis probabilitatis pro parte contraria, est certo conjuncta cum ignorantia invincibili excludente distinctam et certam cognitionem legis, *conc.*; excludente dubiam cognitionem legis, *nego.* In dubio autem tutius est sequendum. Et hinc potest responderi, 4^o *distinguendo* eandem minorem sic: Certa et solida probabilitas de non existentia legis, etiam in concursu æqualis probabilitatis, est necessario conjuncta cum ignorantia invincibili certitudinis legis existentis, *conc.*; ipsius existentie legis, *nego.* Et in hoc forte hallucinantur adversarii. Equidem qui fundate dubitat de existentia legis, ignorat invincibiliter certitudinem ejus existentie, seu eam certo existere; at non ignorat invincibiliter illam existere,

1. Ergo, etiam secundum doctrinam probabiliorismi, dubium speculative practicum per aliquod principium reflexum practice solvendum est. — 2. Si una e duabus opinionibus oppositis æque probabilibus sit vere et solide probabilis, ergo altera est similiter vere et solide probabilis: alioquin probabilitas esset simul æqualis et non æqualis; quod implicat.

cum de ea habeat dubiam cognitionem¹. Neque ante probabilistas unquam auditum fuit, eum qui dubitaret de re aliqua, eam ignorare invincibiliter²: sic filius qui dubitat an vivat pater, non ignorat invincibiliter, alias posset invadere ejus bona; mulier quæ dubitat de vita mariti, non ignorat invincibiliter eum vivere, alias posset transvolare ad secundas nuptias; qui dubitat an sit excommunicatus aut irregularis, non ignorat invincibiliter se esse excommunicatum aut irregularem, alias posset tuto se gerere ut non excommunicatum et irregularem, contra decisiones SS. Pontificum; mulier quæ dubitat de validitate sui matrimonii, non ignorat invincibiliter esse validum, alioquin posset et reddere et petere debitum, quod prohibent jura³.

Obj. 3^o: In dubio legis existentis seu obligantis, possessio stat pro libertate. Atqui in dubio melior est conditio possidentis, L. *In pari* ff de Reg. juris, et Reg. 63 in Sexto. Ergo nemo adstringitur ad observationem legis dubie⁴.

Huic argumento, quod est alterum ex præcipuis fundamentis totius probabilismi, duplex est solutio adæquata. Prima negat majorem; altera negat minorem extra materiam justitiæ. Itaque

Resp. 1^o. *Nego* maj.; quia, in dubio legis existentis, aut nulla aut saltem dubia est possessio libertatis. Constat autem dubiam possessionem non facere meliorem conditionem possidentis, nequidem in materia justitiæ. — Prob. ant. 1^o Possessio libertatis nihil est aliud quam jus faciendi quod libuerit. Non enim est hic possessio legalis, quæ definitur: « Rei detentio, corporis, animi et juris adminiculo. » Unde non potest aliud intelligi quam jus seu

1. Dubia cognitio non est vera cognitio, sed tantum suspicio. — 2. Eam ignorat invincibiliter, si de ea certitudinem nullo modo acquirere possit. — 3. In his casibus, quamdiu certitudo objectiva non obtinetur, non magis obtineri potest subjective certitudo moralis de honestate actionis, sine qua licite non agitur. — 4. Hoc argumentum infra statuatur.

potestas aliquid licite faciendi. Atqui homo nunquam habuit jus faciendi quod libuerit in dubio legis; nunquam enim habuit jus faciendi quodlibet temere et inconsulta ratione, quod accideret, si in dubio legis non eligeret tutius. 2° Qui dubitat de lege, dubitat de obligatione legis, cum sit ejus proprietas. Atqui qui dubitat utrum obligetur lege, dubitat de sua libertate, seu jure agendi quod lex prohibet. Ergo possessio libertatis in illo non est certa, sed dubia. 3° Dum probabilistæ dicunt aliquem posse licite agere contra legem dubiam, quia possidet libertatem, petunt principium et probant idem per idem. Etenim libertas hic intelligitur, non physica, sed moralis, quæ, ut dictum est, nihil est aliud quam jus et potestas aliquid licite faciendi. Unde probare quod possit quis licite agere contra legem, quia habet libertatem, est probare quod possit licite hanc actionem ponere, quia habet jus et potestatem illam licite ponendi; quod est aperte supponere quod est in quæstione, et probare idem per idem. 4° Ubi est certa existentia legis, ibi est certa non existentia libertatis. Ergo ubi est dubia existentia legis, ibi est dubia libertas.

Resp. 2°. *Nego*, seu potius *dist. min.* Melior est conditio possidentis in materia justitiæ, *conc.*; in materiis aliarum virtutum, *nego*. Ideo enim in materia justitiæ melior est conditio possidentis: 1° quia, cum homines, ex una parte, rerum avidi, non soleant suas apud alios relinquere, et ex alia, vir probus non soleat acquirere possessionem alicujus rei sine titulo, hinc in dubio possessio infert præsumptionem, hunc esse rei dominum qui illam possidet; 2° quia, cum bona fortunæ sint subjecta potestati humanæ in ordine ad bonum commune, statuerunt legislatores, in dubio possessorem posse retinere, tamquam sua, bona quæ possidet, propter bonum commune, ne scilicet incerta manerent rerum dominia et lites forent interminabiles, ut latius exponimus in tract. *de Jure et Just.*, dissert. IV, a. 3. Atqui in materia aliarum virtutum neutra ratio currit. Et revera nunquam nec ullibi reperitur in jure, hanc legem fuisse statutam extra materiam justitiæ; sed, e contra, jura

ubique statuunt, in materiis aliarum virtutum, tutiorem partem in dubio esse eligendam.

Obj. 4°: Secundum regulam juris 37 ff de Regulis juris, lib. 50, tit. 17, et alibi: « Opinio benignior est præferenda. » Ergo tutior non est semper eligenda.

Respondent quidam, hanc regulam esse latam pro foro externo, quoad pœnas infligendas in dubiis facti, et hoc est sequi tutius; est enim tutius reum dimitti impunitum, quam innocentem injuste puniri. Respondent alii, quod opinio benignior in jure non dicatur quæ favet libertati aut concupiscentiæ, hæc enim debet potius dici maligna et perversa; sed ea dicitur benignior, secundum jurisperitos, quæ favet testamento, religioni, aut sacramento; vel, juxta Sylvestrum, quæ favet egenis, orphanis, viduis et peregrinis. Cæterum opinio benignior, quovis modo intelligatur, est præferenda, quando est regulis prudentiæ consona, qualis non est opinio favens libertati contra legem, in concursu æque probabilis faventis legi.

ARTICULUS III

Utrum liceat sequi opinionem probabilioribus minus tutam in concursu minus probabilis tutioris, ubi agitur de sola honestate objectiva actus?

Dico: Quando agitur de sola honestate objectiva actus, licitum est sequi opinionem manifeste et solide probabilioribus minus tutam, seu faventem libertati, in concursu minus probabilis tutioris seu faventis legi. Est communissima contra Wendrockium, in notis ad Epist. v Ludovici Montaltii¹, Sinnichium in *Saule exrege*, et paucos alios qui volunt semper sequendum esse tutius.

1. Id est, Blasii Pascal, qui sub hoc ementito nomine vulgavit opus gallice inscriptum *Lettres provinciales*, quo doctrinam moralem Patrum Societatis Jesu calumniose deturpatam ludibrio tradidit. Nicolius his epistolis notas addidit sub nomine supposito Guillelmi Wendrock.

Dixi : « Quando agitur de sola honestate objectiva actus, » scilicet an liceat necne, sive quando agitur de probabilioritate juris, et quaeritur utrum praecipuum aut lex obliget. Si enim agatur de probabilioritate rei seu facti, hoc est de validitate, substantia, qualitate, conditione alicujus rei, non semper est licitum sequi probabilius, propter periculum nullitatis rei, aut alteri nocendi, quod probabilioritas opinionis de facto non abstergit. Sic, v. g., quamvis sit probabilius baptismum valere in tenui cerevisia; feram, non hominem latere in dumo : non tamen licet sine necessitate conferre baptismum in tenui cerevisia, neque explodere in hunc dumum, quia ista probabilioritas facti, cum nihil immutet in rebus, nec faciat quod id quod requiritur ad validitatem actus non requiratur, nec quod id quod adest non adsit aut non noceat, non abstergit periculum¹. Secus, quando est probabilioritas juris, an liceat actio, an sit lex prohibens; quia, cum lex quae prudenter creditur non existere, non obliget actu, probabilioritas opinionis secundum quam creditur prudenter non existere, abstergit periculum agendi formaliter contra legem actu obligantem. Unde damnata est haec propositio : « Non est illicitum, in sacramentis conferendis, sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabilis tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis aut episcopalis. » Est prima inter damnatas ab Innocentio XI.

Prob. conclusio 1^a ex definitione Sedis Apostolicæ. Licitum est sequi opinionem inter probabiles probabilissimam. Ergo et solide probabilioem. — Antecedens constat ex condemnatione hujus propositionis, quae est Sinnichii : « Non licet sequi opinionem inter probabiles probabilissimam. » Est tertia inter damnatas ab Alexandro VIII. — Probatur consequentia. Si non esset licitum sequi opinio-

1. Demonstrabitur infra hos casus extra praesentem quaestionem vagari.

nem solide probabilioem, ideo esset, juxta adversarios, quia manet formido de opposito et periculum transgrediendi legem. Atqui opinio probabilissima etiam includit necessario formidinem de opposito. Ergo, si, hoc non obstante, licitum sit sequi illam, licitum est etiam sequi solide probabilioem. — Probatur min. Opinio probabilissima remanet intra fines probabilitatis. Ergo est necessario cum formidine partis oppositæ; opinio enim probabilis est essentialiter assensus uni parti ex motivo idoneo ad suadendum moraliter, tamen fallibili, et ideo cum formidine partis oppositæ.

Si dicas, cum Daelman et quibusdam aliis, quibus solus probabilissimus est licitus, quod in opinione probabilissima remaneat quidem formido, sed quae in praxi a viro prudenti non meretur attendi : hoc ipsum etiam dicimus de opinione manifeste et solide probabiliori.

Prob. 2^o autoritate. 1^o S. Thomas, 2^a 2^a, q. 70, a. 2, o : « In actibus humanis, inquit, super quibus constituuntur judicia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sint circa contingentia et variabilia, et ideo sufficit probabilis certitudo, quae ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus deficiat. »

2^o S. Antoninus in *Summa*, I p., tit. 3, c. 10, § 10, dicit aliquem posse agere secundum opinionem probabilem, « modo habeat rationes probabiles magis pro re ipsa quam pro opposita opinione. »

3^o Summi Pontifices in dispensationibus et in variis casibus saepe usi sunt et utuntur opinione probabiliori aut absolute probabili¹, licet minus tuta, sed et reges, in ministrandis regni negotiis, iudices tam ecclesiastici quam seculares, in dirimendis litibus, sequuntur non semper quod est tutius, sed quod est probabilius. Unde haec regulæ seu communia juris axiomata : « Quod verisimilius praefertur. » — « Ubi sunt opiniones discordes, iudex sequatur communem. »

1. Nota illud : « Aut absolute probabili, » quod probabiliorismo non favet.

Prob. 3^o ratione¹. 1^o Ille non peccat formaliter, qui facit quod prudenter, quod rationabiliter et bona fide iudicat nequidem esse peccatum materiale contra legem. Atqui qui sequitur opinionem solide probabiliorem de honestate objectiva sui actus, facit quod prudenter, quod rationabiliter et bona fide iudicat nequidem esse peccatum materiale contra legem. Ergo. — Major est certa; nam prudentia, ratio, bona fides sunt regulæ nostrarum actionum. — *Prob. minor.* 1^o Ille prudenter et rationabiliter iudicat, qui iudicat secundum merita causæ, ut patet ex terminis, et in omnibus judiciis tam publicis quam privatis. Atqui qui id quod sibi probabilius est licitum, seu id quod graviora et solidiora motiva suadent esse licitum, iudicat esse licitum, iudicat secundum merita causæ, ut patet. Ergo. 2^o Ille prudenter iudicat, qui iudicat ex motivo quo vir prudens solet determinari ad iudicandum. Atqui vir prudens solet determinari ad iudicandum ex motivo graviori et solidiori. Ergo. 3^o Ille prudenter iudicat, qui, si secus iudicaret, imprudenter iudicaret. Atqui qui iudicaret id quod probabilius est licitum esse illicitum, imprudenter iudicaret, sicut imprudenter iudicaret, qui colorem similiorem albo quam nigro iudicaret esse nigrum. Ergo.

2^o Ille qui facit quod probabilius iudicat esse objective honestum, seu nulli legi contrarium, si forte sit lex prohibens, illam invincibiliter ignorat. Atqui ignorantia invincibilis legis excusat a peccato formali, ut patet ex hac propositione secunda damnata ab Alexandro VIII: « Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali. » — *Prob. min.* Qui serio enititur ad veritatem, facitque totum quod moraliter potest ut eam assequatur, et sequitur quod propius ad eam accedit, si forte non attingat, invincibiliter illam ignorat; quia ea ignorantia est invincibilis, quæ humano studio vinci non potest, ut

1. Argumenta a ratione petita quæ hic proferuntur in favorem probabilismi, jure allegari possunt et a nobis invocabuntur infra in gratiam probabilismi.

dicit Author 1^a 2^a, q. 76, a. 2, o. Atqui totum hoc præstat qui, post sufficiens examen, sequitur opinionem probabiliorem. Ergo.

Dices, cum Daelman, quod ignorantia legis seu malitiæ objectivæ actionis non censeatur invincibilis, ubi quædam argumenta reperiuntur ipsi operanti nota pro ipsa lege seu malitia. Unde, quamvis forte tunc invincibiliter ignoret malitiæ certitudinem, non tamen invincibiliter ignorat malitiam seu legem quam probabiliter novit talem.

Sed contra: 1^o Ex hoc argumento sequitur quod neque ex opinione probabilissima habeatur ignorantia invincibilis legis, siquidem cum ea reperiantur etiam argumenta operanti nota de legis existentia. 2^o Quamvis sint argumenta in contrarium tam in probabilissima quam in probabiliori, ista sunt negligenda et postponenda probabilioribus et gravioribus; ex quo fit quod operans qui serio quærit veritatem, et ad illam, quantum potest, nititur, non possit prudenter iudicare partem illam minus probabilem esse veram, sed contrariam quæ est verosimilior. Unde, respectu ipsius, quantum ad iudicium prudens, perinde se habent illa leviora momenta, quasi non essent, et sic non impediunt quin ignorantia legis, saltem actu obligantis, sit moraliter invincibilis.

Prob. 4^o ab inconvenientibus. Si semper sit sequendum tutius, sequitur 1^o prorsus esse inutile studium theologiæ moralis. Frustra enim fatigamur, libros evolvimus, noctes et dies insumimus inquirendo quæ sententiæ sint veriores aut probabiliores, frustra congerimus argumenta plerumque non demonstrativa ad eas stabiliendas, frustra indocti consulunt doctos, an hoc vel illud sit licitum; si quidem ante omne studium, ante omnem inquisitionem et consultationem, norunt omnes tutius et solum tutum esse ab his abstinere.

Sequitur 2^o prohibendos esse et removendos omnes libros theologiæ moralis, etiam opera SS. Thomæ, Bonaventuræ, Antonini, etc., tamquam scandalosos et inductivos in peccatum, cum sit vix unus author qui non sæpe

doceat opiniones probabiliore faventes libertati, contra tutiores stantes pro lege.

Sequitur 3^o hos SS. Doctores et innumeros alios doctrina et pietate insignes graviter peccasse, docendo istas opiniones probabiliore minus tutas, et gravius quam qui illas sequuntur in praxi; quia doctrina magis serpit, plures inficit et diutius permanet.

Sequitur 4^o ultra modum aggravari jugum Christi et fieri prorsus intolerabile, ut patebit discurrenti per varios status et casus.

Nota, omnia fere argumenta quæ objiciuntur, si quid valeant, probare neque licitum esse sequi opinionem probabilissimam: quod est damnatum. Unde, cum nimium probent, nihil probant.

Obj. 1^o: S. Thomas, *Quodlibeto* viii, a. 13, dicit: « Illud quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusat per hoc quod est secundum conscientiam. » Ergo non est licitum agere secundum opinionem probabiliorem; quia, si contingat esse contra legem, ut potest contingere, peccat agens.

Resp. S. Thomam loqui de eo quod est contra legem culpabiliter et vincibiliter ignoratam, et secundum conscientiam culpabiliter et vincibiliter erroneam. Ita hunc textum explicant S. Antoninus, Sylvester, Adrianus et alii communiter, tam Thomistæ, quam extranei. « Hæc verba B. Thomæ, inquit S. Antoninus in *Summa*, I p., tit. 3, cap. 10, § 10, post medium, non possunt intelligi nisi de his ubi manifeste patet, ex Scripturis vel Ecclesiæ determinatione, quod sit contra legem Dei, et non de illis ubi non apparet: alias sibi contradiceret in eodem libro, quod non esset credendum. »

Obj. 2^o: Ex opinione tantum probabiliore de honestate objectiva actus, non potest formari conclusio practica moraliter certa de honestate formali; non enim potest conclusio esse certior principio. Ergo.

Resp. 1^o. Retorqueo argumentum. Ex opinione tantum probabilissima non potest formari conclusio practice certa.

Ergo. — *Resp. 2^o. Dist. ant.* Ex opinione tantum probabiliore non potest immediate formari conclusio practice certa, *conc.*; mediate, *nego.* Posita enim opinione probabiliore de honestate objectiva actus, agens, mediante iudicio reflexo moraliter certo quod ipsam opinionem probabiliorem habet pro objecto, format dictamen practicum moraliter certum, eo modo quo dictum est in probationibus, scilicet: Ille non peccat formaliter, qui facit quod prudenter iudicat esse objective licitum¹. Atqui qui agit secundum opinionem solide probabiliorem, facit quod prudenter iudicat esse objective licitum. Ergo non peccat. — Major est physice certa. — Minor est moraliter certa.

Inst. 1^o: Tutioristæ, et qui stant pro opinione probabilissima, negant minorem hujus iudicii reflexi. Ergo non est moraliter certa.

Resp. 1^o. Retorqueo argumentum. Tutioristæ negant minorem similis iudicii reflexi ubi agitur de opinione probabilissima. Ergo ista minor non est moraliter certa. Ergo non licet sequi opinionem probabilissimam; quod est damnatum.

Resp. 2^o. Dist. ant. Tutioristæ, et qui stant pro opinione probabilissima, negant minorem hujus iudicii reflexi, et hi sunt admodum pauci comparative ad eos qui affirmant, et infundate negant, *conc.* ant.; et hi sunt comparative plures et fundate negant, *nego* ant.: præsertim cum omnia quæ opponunt contra probabiliorismum, militent pariter contra probabilissimum, ut patet ex jam dictis, et nihilominus certum manet, licitum esse sequi probabilissimum. Unde ex eorum negatione non tollitur certitudo moralis hujus minoris; ut enim recte advertit Cajetanus, verbo *Opinione uti*, n. 4, « non propterea aliquid opinione tenetur [intelligit opinionem proprie dictam, quæ sit cum formidine fundata partis oppositæ], quia diversi doctores

1. Attendendum est ad usum principiorum reflexorum, quem hic Billuart affirmat legitimum. Hac methodo probabitur infra veritas probabilismi hodierni.

contraria sentiunt, quoniam cum hujusmodi contrarietate stat quod una pars sit ratione sufficiente ad moralem certitudinem fulta, et jam non est opinio apud capientes illam rationem; sed, quia nesciunt multi discernere inter certitudinem moralem et mathematicam, omnia quodammodo locant sub opinione. »

Inst. 2° : Istud judicium reflexum non tollit periculum probabile agendi contra legem, cum probabilius possit esse falsum. Ergo.

Resp. 1° Reforqueo argumentum contra probabilissimum. 2° *Dist. ant.* Non tollit periculum agendi formaliter contra legem, *nego*; agendi materialiter contra legem, *subdistinguo*. Non tollit periculum quod a viro prudenti contemni debet, *conc.*; quod a viro prudenti non debet contemni, *nego*.

ARTICULUS IV

Variae quaestiunculae circa praesentem materiam breviter resolvuntur.

Petes 1° quantus debeat esse, in opinione minus tuta, probabilitatis excessus, ut liceat illam sequi.

Resp. Non requiritur quod sit probabilissima, nec sufficit quicumque levis excessus in probabilitate; sed requiritur notabilis et moraliter gravis.

Ratio primae partis est: 1° Quia qui sequitur probabilior, prudenter agit, ut probatum est. Ergo ea sufficit, nec requiritur probabilissima. 2° Quia, si requireretur probabilissima, ideo esset, secundum suos patronos, ut non remaneret periculum probabile peccati. Atqui tunc desideret esse probabilissima et fieret moraliter certa, sicque nunquam liceret sequi inter probabiles probabilissimam; quod est reprobatum. Ergo. 3° Nihil opponitur contra probabilior, quod non possit opponi contra probabilissimam, ut patet ex dictis. Atqui, hoc non obstante, sufficit probabilissima. Ergo et probabilior. 3° Contraria senten-

tia praeretur occasionem continuis scrupulis et anxietatibus, cum vix dignosci posset quandam opinio foret probabilissima, nisi forte per probabilissimam intelligant graviter probabilior.

Ratio secundae partis est, quia talis ac tantus debet esse excessus, ut, moraliter loquendo, excutiat dubium, et moveat virum gravem atque prudentem, ut assentiatur illi potius quam alteri. Atqui, moraliter loquendo, ad id non sufficit quivis tenuis et levis excessus; parum enim in moralibus pro nihilo reputatur. Ergo.

Petes 2° quomodo confessarius aut vir doctus consultus super licitate aut illicitate alicujus actionis, v. g., an contractus triplex sit licitus, debeat respondere consulenti.

Resp. Non potest respondere secundum opinionem minus probabilem, sive minus tutam, sive tutiorem; quia, vel diceret licitum quod ipse probabilius judicat illicitum, vel diceret illicitum quod ipse probabilius judicat licitum; sicque induceret consultantem ad faciendum id quod ipse consultus judicat esse malum, vel ad abstinendum ab eo quod judicat bonum, ipsumque ideo consultantem utrinque deciperet, vel nimis laxando, vel nimis coarctando ejus conscientiam.

Debet ergo respondere secundum probabilior sententiam quam tenet, non tamen semper simpliciter et absolute. Si enim opposita sententia sit etiam vere probabilis et a pluribus viris doctis sustineatur ut probabilior, pericliteturque damnum tertii, puta quia agitur de restitutione facienda aut contractu ineundo; respondere debet se ita probabilius sentire propter tales et tales rationes, non deesse tamen viros doctos et graves qui oppositum sentiunt, quos potest adire, et eligere coram Deo quod ipsi erit probabilior. Ratio est, quia, si responderet simpliciter et absolute secundum sententiam sibi probabilior, exponeret consulentem periculo, puta restituendi quod non debet restituere, vel non restituendi quod debet restituere, vel ineundi contractum alteri nocivum, aut abstinendi a contractu sibi proficuo.

Petes 3^o utrum confessarius possit et debeat absolvere pœnitentem reluctantem suæ opinioni.

Resp. 1^o Si opinio pœnitentis sit certo minus probabilis, et eam ut talem agnoscat pœnitens, velitque illam sequi, debet confessarius illi denegare absolutionem, tamquam indisposito, etiamsi dicat se esse probabilistam¹. Patet ex dietis art. 1.

2^o Si opinio pœnitentis sit singularis, nulla ratione solida fulta et vix a quoquam alicujus ponderis propugnata, quantumvis pœnitens ex pertinacia reputet probabilior, debet confessarius ipsum instruere de improbabilitate suæ opinionis, et si nolit acquiescere, ipsum dimittere inabsolutum; quia irrationabiliter et ex pertinacia adhærens opinioni improbabili, non est sufficienter dispositus.

3^o Tandem, si opinio pœnitentis, quam credit probabilior, sit revera solide probabilis et a pluribus gravibus et doctis viris ut probabilior propugnata, distinguendum est. Vel secundum illam periclitatur validitas sacramenti, ut si pœnitens existimet probabilius attritionem mere formidolosam sufficere, nec aliter dispositus accedat; nisi eam deserat, non debet absolvi, quia proprio judicio exponit sacramentum nullitati². Vel secundum eam non periclitatur valor sacramenti, puta si probabilius existimet se in tali casu non teneri ad restituendum, aut a tali contractu abstinendum; etiam si nolit acquiescere confessario, et sit aliunde dispositus, debet in sua opinione relinqui et absolvi; quia 1^o in pari causa, non debet sibi ablandiri confessarius, nec credere se habere clavem scientiæ, quasi ipse cuncta sciat et solus videat, alii autem qui oppositum sentiunt sint cæci et in statu damnationis; 2^o quia pœnitens, postquam declaravit sua peccata et aliunde est dis-

1. Dicemus infra quod, si sententia favens libertati non sit ita minus probabilis ac opposita, ut leviter tantum probabilis appareat et ideo eam vir prudens eam amplecti non possit, licet eam sequi, quia est vere et solide probabilis, et qui secundum eam agit, non imprudenter agit. — 2. Hic casus est extra quæstionem.

positus, habet jus ad absolutionem, quam non potest illi absque injuria denegare confessarius, nec illum judicare indispositum quia adhæret sententiæ sibi fundate probabiliori, cum, secundum illam agens, non peccet. Ergo.

Petes 4^o utrum unicuique liceat sequi opinionem quam primo aspectu existimat probabilior.

Resp. Nemo potest licite sequi nisi eam opinionem quam, post adhibitam, pro qualitate rei, conditione personæ et temporis opportunitate, sufficientem diligentiam, sincere coram Deo judicat probabilior; quia alioquin imprudenter et temere ageret, exponendo se voluntarie periculo agendi contra legem.

Quæ autem diligentia censeatur sufficiens? Quamvis non possit dari regula generalis certa, secundum tamen quod communius contingit, sequentia propono:

Illitterati possunt reputare probabilior et tuto sequi sententiam seu consilium sui pastoris vel confessarii qui habetur vir prudens et doctus, aut alterius viri pariter prudentis et docti; quia illi nihil melius habent quod faciant. Quod si duos consulant æqualis ponderis sibi contradicentes, tutius eligant.

Semi-docti consulant doctiores neque nimii rigoris neque nimie laxitatis suspectos, aut libros evolvant in quibus dum reperiunt opinionem unanimiter assertam ab authoribus, et oppositam aut silentio præteriri aut uno ore rejici, possunt illam sequi ut probabilior. Si legant authorem fatentem sententiam suæ minus tutæ oppositam esse communem, hanc sequantur; quia illi semi-docti per se non possunt momenta rationum perpendere, et vix aliam possunt regulam sequi quam autoritatis. Si author gravis quem legunt dicat duas opiniones contradictorias esse æque probabiles, sequantur tutiorem; si minus tutam esse probabilior, possunt illam sequi.

Tandem viri docti eam opinionem habeant probabilior, et aliis ut talem suadeant, quam, semotis passionibus et præjudiciis, sed mature perpensis rationum hinc et inde momentis, et attentam authorum pro et contra gravitate et pondere, sincere coram Deo judicant talem.